



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De Gestis Synodi Nicenæ primæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

prostrauerit aduersarium, multique vsi eius vitæ doctrina, ciues euasere cælestes: (ex ijs enim vnus quoque est Gregorius, magnus inter victores athletas, qui inuenit reliquias sanctarum martyrum Ripsimes & Gaiane, & impudicum Teridatem prius quidem euertit, deinde autem ad finem deduxit) huius, inquam, preciosas reliquias complures nobiscum videre, quæ neque pilos abiecerant, neque vngues amiserant: erant autem plenæ omni vnguëtorum fragrantia. Neque verò sit aliquis, qui his fidem non esse habendam existimet. Sunt enim hæc, & his maiora dona gratiæ, ad honorem fidelium, ad laudem Ecclesiarum, ad gloriam Christi Dei nostri: Cum quo Patri gloria, & viuifico spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

ORATIO HISTORICA DE IIS, QUÆ NICEAE GESTA SYNT A SYNODO PROPTER ARRII

depositionem. In qua est etiam singularis narratio de vita magni Constantini. Habetur in Simeone Metaphraste.

NONODECIMO anno Imperij Diocletiani, aduentus autem Saluatoris nostri Iesu Christi trecentesimo quinto anno, rursus in nos inualuit persecutio: quo tempore Constantinus Constantij filius erat puber. Qui cum sacras literas didicisset à patre, & electus fuisset ab eo Cæsar, cumque Diocletianus autem & Maximianus venissent in Aegypti Alexandriam, quandoquidem illic Tyrannus insurrexerat, erat vnà cum eis ferens auxilium Constantinus iuuenis, & pulcher adolescens, & se in bello gerens strenuè. Quo tempore sceleratus Maximianus, qui erat gener Diocletiani, vt qui eius filiam duxisset vxorem, videns eum se fortiter gerere, & laudari ab omnibus, inuidia ductus, conatus est eum ex insidijs tollere de medio. Sed cum ipse cognouisset sibi parari insidias, fuga suæ salutis consuluit, ad patrem fugiens. Eum autem decedentem offendens, eligitur ab ipso successor Imperij. Quo tempore pium quoque dicunt dixisse Constantium: Nunc est mors mihi vita iucundior, ô fili, cum funeris iusta accipiam maxima tuum principatum. Relinquere enim in terra Imperatorem, qui possit Christianorum lachrymas abstergere, & arcere iniquam eadem, quam non cessat Maximianus moliri in Christianos, dat mihi beatam sortem. Iam autem tertius agebatur annus eius, quæ exercebatur in nos, persecutionis: in quo Constantius caducum Regnum æterno commutauit, & filio Imperatore renunciato, pietatis prædicatorem & Christianorum reliquit defenforem.

Cum autem Seuerus morbo esset mortuus, Licinius, qui erat Constantij gener, ducta sorore Constantini, propter suam cum ipso affinitatē senatuscōsulto Imperium obtinet. Reliquam autem partem Orientis Gallerius Maximinus obtinuit: Maxentius verò Romæ imperauit, qui erat fratris filius. Nam hic quidem Maximiani prioris, ille verò Diocletiani. Constantinus autē pius Imperator cum sæuas cædes & stupra virginum, & raptus alienarum vxorum, & vim, quam per delicias afferebat execrandus Maxentius, auditione accepisset, & Romani ad eum missa legatione ab eo contenderent, vt eos seruaret & redimeret, literis quidem hortatur Tyrannum, vt à rebus turpissimis abstineat. Cum autem verbis eum non persuaderet, bello aggreditur. Et commissa pugna, parum quidem abfuit, quin vinceretur. Sed cum ei in cælo apparuisset figura Crucis, inculpta immateriali lumine, & literis eiusdem materiæ annunciatet victoriam, (Dicebat enim scriptura: In hoc vince) cum hostibus congressus, & belli & hostis vim frangit. Ante conflictum autem cum diuinam visionem trophæi instar formasset, & gemmis auro insertis concinnasset, dat eam ferendam ijs, qui antè equitabant. Et ab eo quidem capitur Maxentius. Nam quibus venabatur insidijs Constantinum, eis ipse captus est. Nam ante Romam circa pontem Miluium, dolo pontem alium construxerat, per quem sperabat fore, vt equitans interiret Constantinus. Nam cum citò & magno cum tumultu terga vertissent, qui Roma exierant, ipse doli artifex vnà cum ijs, qui sequebantur, rupto, qui callidè constructus erat, ponte, in fluuio submersus fuit, & mortem bibit. Sed sic quidem interijt Maxentius, & pars illius redit ad Constantinum. Subditi autem non solum à malis

Insigne miraculi in reliquijs Leontij Episcopi.

Constantinus à patre renunciatur Imperator.

Cap. 2.

Vide virtutē sanctissimæ Crucis.

Effigies Crucis.

Incidit in foueam quam fecit Maxentius.

ingentibus quieuerunt, sed etiam in summa felicitate diem festum agebant.

Cap. 3.
Licinius p-
sequitur
Christianos

Licinius verò, qui gentiliū tuebatur sententiam, furebat in pios, primū quidem clam metu affinitatis, postea autem palam quoque. Diuturnum enim, & quod intus alitur malum, magna ex parte conclusum, intus manere non potest. Sed quod olim meditabatur, extrinsecus producit in triumphum. Quæ in Christianos ergo est excitata, & quæ verbis explicari nequit persecutio, mouet pium Imperatorem ad iustum odium in fororium maximè impium, odiumque bellum peperit. Cum autem & mari & terra multa, eaque omnis generis committerentur prælia, vincitur Licinius, & Imperatoris humanitate fretus, seipsum ei dedit. Reque ipsa ostensum est, cum non frustra fidere. Nam qui erat multis obnoxius supplicijs, impunè dimittitur, & ei deputata est Thessalonica, in qua poterat semper tutò versari. Is verò humanitatem armæ suæ faciens amentia, ad amissum prælium instaurandum, molitus est rebellionem, quæ ei & vitam, & Imperium iusto ense amputauit.

Capitur à
Constantino

Cæditur.

Cap. 4.

Arrij error.

Postquam autem post Achillam, beati Petri successorem, suscepit Alexander Alexandria sacerdotium, Ecclesia iam liberata à persecutionibus, & gloriantem de martyrum certaminibus, malum quod in sinu nutriebatur, & orbis terrarum ultus Martius (id enim est Arrius) in mœrorem rursus conuertit Ecclesiæ lætitiarum. Dei enim filium redegit inter creaturas, cuius manus est opus vniuersa creatura. Postquam autem Alexandria Episcopus Alexander, & monendo, & rogando fuit defessus, (Altitudo enim zizaniorum vincebat sementem verbi) depositionis gladio eum excindit ab Ecclesia. Eusebius autem, qui Berytum quidem contempserat, ad Nicomediensium autem Ecclesiam oculos adiecerat, quoniam violentæ suæ rapinæ pœnas non dederat, animo sublarus, Arrij, & eius hæresis sectatorum vel inprimis curam agebat. Ex quibus inter eos quidem, qui aliquandò fuerunt Episcopi, erat Secundus & Theonas. Inter Diaconos autem & presbyteros erat & Arrius principium heresis, & Achilles, & alius Arrius, & quidam alij eiusdem honoris & ordinis, numerum implentes nouenarium: quos etiam deposuit Synodus centum ferè Episcoporum, qui ex Aegypto & Libya conuenerant, anathemati quoque eos subijcetes.

Cap. 5.

Osius Epi-
scopus mit-
titur Alex-
andriam.

Quæ cum non sine dolore audisset Constantinus, mittit Alexandriam Osiū quidem nomine, virā autem etiam Osiū, id est, sanctum. Corduba verò vrbs Hispaniæ de eo se iactabat. Porrò autem ei quoque tradit literas scriptas & ad Alexandrū Dei Pontificem, & ad Arrium parentem impietatis. Quarum illæ quidem petebant, vt humanitate & clementia vteretur in Arrium: hæ verò imperabant, vt à furore desisteret, & sensum teneret Ecclesiæ. Quinetiā hortabatur, vt à lite inter se & contentione discederent, vt quæ multorum malorum causa fuerit inter multos. Postquam autem Arrij morbus nec insignis Osiij præsentia & doctrina, neque admonitione Imperatoris est curatus, Concilium Pontificum in Bithyniæ vrbe Nicea congregat Imperator. In qua cum considerent Episcopi, Imperator ipse stans in medio, non aliās sedere sustinuit, quàm sacrosanctus ei chorus annuisset.

Nota quan-
tū deferat
sacerdoti-
bus tantus
Imperator.

Atque Arrij quidem hæresim & Eusebius Nicomediæ Episcopus, & Theognis Niceæ, & Marius Chalcedonis defendebat: Pietatem autem Alexander presbyter Constantinopolitanus, & vicem gerens eius Pontificis. Metrophanes enim sanctus non aderat tam propter profundam senectutem, quàm propter aduersam valetudinem. Post quem & Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Archidiaconus, & eius Pontifex Alexander. Synodo verò intererant etiam aliqui, qui non solum Pontificalem non habebant gratiam, sed neque mysterijs Christianorum erant initiati: sed propter discedendi facultatem magni erant nominis: quos non ficto & inornato Dei sapientiæ verbo quidam ex sacrosanctis senibus, & diuina gratia inhabitante ceperunt, & cum à gentili errore expurgassent, & Arrij, pro quo maximè decertabant, effecerunt vt in gregem Domini allegerentur.

Cap. 6.

Paphnutius
Episcopus.

In hac Synodo autem aderat etiā Paphnutius admirabilis, genere quidem Aegyptius, cōfessor verò in certamine. Cui etiam Maximianus Christi inimicus dexterum effudit oculum, & sinistrae manus neruos præcidit in cubito, & metalli opere vexauit: Vir, qui præclara multa opera, & virtutes effecit: quem etiā maximè pius & Dei amatissimus Imperator omni honore affecit, nec eum vnquam cepit satietas eius effossum deosculandi oculum. Quinetiam vnā versabatur venerandus Spiridon, de quo ex innumerabilibus pauca quædam dicit oratio. Pascebat ipse aliquandò greges suos, etiam si in dignitate esset Episcopali. Gregem autem inuaserunt latrones, & vinciti fuerunt

Spiridon
Episcopus,
& quædam
eius gesta.

fuerunt vinculis, quæ non cadebant sub visum. Cùm eos autem vincos depræhendisset, quos ipse vinxerat precibus, à vinculis quidem soluit pari sapientia: Dat autem eis quoque arietem, futurum mercedem, dicens, nocturnæ afflictionis. Habebat verò virginem filiam, quæ cum eo habitabat. Ipsa cùm alicuius accepisset depositum, migravit à vita. Is verò qui aurum deposuerat, (erat enim peregrè profectus) reuersus aurum quærebat. Vnà autè cum eo scrutabatur quoque Spiridon, nec inueniebatur. Quocirca accedit ad sepulcrum filia, & O filia Irene, inquit, (hoc enim erat nomen virginis) vbi est depositum? Illa autem respondit è sepulcro, edocens locū & modum inueniendi. Et cùm faciliè inuenisset depositum, restituit ei, qui deposuerat. Sed his quidem tanquam ex vnguibus leonem significamus.

Irene iam defuncta, dat patri responsum.

Hi ergò viri longè beatissimi, & aliorum Pontificum congregatus cœtus, Arrium & eos, qui cum ipso sentiebant, condemnârunt impietatis: & pronunciarunt, filium esse Patri consubstantialem, eadem vno ore ferentes sententias. Quidam autè octodecim numero, visi sunt declinare ad furorem Arrij. Sed ijs exilio Regia sententiâ de decreto, in impietate sex soli permanferunt, cùm alij præ se tulissent recantare, & ad sensum pietatis, etsi non purè & syncerè, sed mente subdola concurrissent. Quorum fuit princeps Eusebius Nicomediæ Episcopus. Hinc quæ erant vbique Ecclesiæ, è multis tumultibus & seditionibus respirârunt ad pacem. Et Osius quidem Cordubæ Episcopus simul cum ijs, qui ipsum sequebantur, ferens acta synodica, procurauit pacem Occidentalibus. Ijs autem, qui erant in Aegypto & Libya, acer Athanasius. Alexander verò etiam vergebat ad feneçtutem. (erat enim septuagenarius) ijs tamen, qui erant in Thracia & Illyrico, concordie & pacis Ecclesiarum ferendi fausti nuncij laborem sustinuit, vnà habens secum in eo itinere Paulum, qui tunc tenebat gradum lectorum & subscriptorum Constantinopolitana Ecclesiæ: qui etiam in synodo annum agens duodecimum, versabatur vnà cum Alexandro.

Cap. 7.

Alexander Constanti-nop. Episc. multis locis Arrianismū extirpat.

Sed hæc quidem paulò post: priùs autem venit ad videndum sanctissimum Metrophanem. Qui cùm eum lætitia affecisset propter bonum nuncium, & propter suum aduentum, non autem propterea quòd esset peregrinaturus, profectus est ad obeundum munus sibi creditum. Peruadentes verò Thraciam, & Macedoniam, & Thessaliam, & Achaïam omnem, & Græciam, & terram continentem, ne Insulas quidem neglexerunt, sed etiam nauigantes, radicibus omnem euulserunt zizaniam: Euangelicæ autem doctrinæ, & synodicarum prædicationum generosam sementem disseminârunt. Cùm synodus autem accepisset finem tribus annis cum dimidio, (Cœpit enim quintodecimo Aprilis, finita est autem, cùm triennium rursus peruenisset ad Aprilem, & excurrisset vsq; ad Septembrem: sic enim sapiens adnotauit Alexander, qui scripsit acta synodi) stans Imperator in medio chori Pontificum, petijt ab eis vnâ sibi dari gratiam. Illi autem prompto & alacri animo annuerunt. Gratia autem hæc erat, vt ipsi vnâ secum ingrederentur, vt viderent Pontificem, quem esse suum patrem confessus est Imperator, & vt ciuitatis, quam ipse erexerat, eorum præsentia & precibus eius nomine, qui condidit, fierent Encænia. Cùm autè inuiserent Pontifices Metrophanem perspicacissimum die quodam Dominico, & vnâ adesset Imperator, & alij habitū sunt sermones, &, Video, inquit excipiens Imperator, ô Patrum mihi maximè venerande, te & senio & morbo laborare. rogo te ergò, vt dicas & nobis ostendas eum, qui post te est regi præfuturus. Ille autem lato vultu dicit ad Regem: Persuasum habeo in Domino, sanctissimum spiritum nunc per tuam linguam esse locutum. Mihi enim de eo cogitanti septem antè diebus manifestauit Dominus, & me post decem dies è vita emigraturum, & quisnam sit sacram dignitatem suscepturus. Is est autem meus compresbyter Alexander, qui verè est dignus electione, & sancti spiritus prædicatione. Præterea autem eum quoque, vtpotè puer, lector Paulus sequetur.

Cap. 8.

Councilium Nicenū durauit triennio & sex mensibus.

Metrophanes prædicator, qui sint ipsi successuri.

Cùm autem respexisset etiam ad diuinum Alexandrum Pontificem Alexandria: Et tu quoque, inquit, ô frater, egregium relinques successorem. Et manu accipiens Archidiaconum Athanasium: Ecce, inquit, strenuus Christi miles. Is te sequetur, qui non solum vnâ cum Alexandro fratre meo decertauit aduersus impietatem Arrij, sed adhuc cum eo multa & magna suscipiet certamina. Non solum autem eum manent secunda, sed etiam cum forti & strenuo Paulo sustinebit tertia. Hæc dixit, & tanquam spiritu excitatus, cum Episcopis descendit in Ecclesiâ: & cùm post Euangelij lectionem breui sermone esset populum allocutus, & eum instituisset, etiam non præsentem

Cap. 9.

Nota de Athanasio.

tem

tem presbyterum Alexandrum renunciat Pontificem, & throni successorem. Populus verò vna voce cum ipso Imperatore aliquot horas clamavit, Dignus. Deinde palium deponit in sacra mensa, id iubens seruari successori. Venturum autem ipsum prædixit propediem post diem septimum suæ ad Christum resolutionis. Fiunt ergò omnia, vt prius dixi, & vt mandauit. Quieuit autem, cum esset centi & septemdecim annos natus, quarto mensis Iunij.

Cap. 10. Constantia autem soror pij Constantini, quæ fuerat vxor impij Licinij, A fratre, inquit, vnã hanc postremam peto gratiam, vt ab exilio reuocetur Arrius, in quem iniuste structæ sunt insidiæ. sentit enim cum synodo. Erat enim apud eam quidam presbyter studiosus Arrianæ hæresis: qui cum se prius insinuasset in familiaritatem Eunuchorum Constantiæ, per ipsos quoque ad eam peruénit, verborumq; illecebris & blanditijs ei persuasit, quòd per inuidiam expulsus fuerit Arrius, & quòd rectum dogma teneat Ecclesiæ. Quæ cum Imperatori dixisset, eum commouit, & statim scribit, vt Arrius redeat ab exilio. Eum quoque fratri commendat presbyterum, qui non minus erat hæresis presbyter, quàm assentationis. Qui moribus & verbis aptis ad se insinuandum, haud ita post conueniendum Imperatorem cõsequitur libertatem, & verba mouet de Arrio, quæ ipsum faciebant orthodoxum. Rex autem, Si Arrius, inquit, id sentit quod synodus, ego eum & lubenter videbo, & cum honore in Alexandrina constituam Ecclesia. Hæc autem dixit, & ipsum literis ad se accersit. Atque Arrius quidem venit Constantinopolim simul cum Euzoio, qui fuerat depositus: eosque benignè excipit Imperator, rogansque quidnam sentirent, audit eos dicentes, se non aliud sentire, quàm exposuissent Trecenti decem & octo sancti patres. Quin etiam miseri factæ confessioni adiungere iusiurandum. Imperator autem iubet eos in scripta referre, quid sentiant. Illi verò prompto & alacri animo falsa scribunt. Dicebant enim in scriptis, se & eos, qui erant cum ipsis, credere ea, quæ lingua confingebant. Motus est ergò Imperator, propterea quòd confessi sunt pietatem. Statimque ipsum & eos, qui cum ipso erant, cum honore mittit Alexandriam. Alexandriæ autem Pontifex Alexander, cum eo conspirante Athanasio, missum minimè suscipit. Et hæresim rursus Arrius aperiebat, & Aegyptum perturbabat.

Cap. 11. Imperator verò accersit Arrium, & rogat an perseueret in ijs, quæ coram est confessus. Is autem rursus promptè asseuerauit, se in ijs perseuerare, & verbis addidit iusiurandum. Erant autem hæc omnia verè scenica, atque ad eò ijs, quæ in scena agitur, magis facta. Aiunt verò, quòd cum absconditè librum scripsisset Arrius, & cum ferret sub axilla, impudenter, loquebatur impietatem, & sic se iurabat sentire, pietatis charitatem in apertum proferens, sicut etiam subscripserit. Cum autem res Arrij sic essent dubiæ ac suspensæ, Imperator breui post tempore mortalem vitam commutat immortali, cum triginta & vnum annum regnasset, vitam autem transgisset sexaginta & quinque annorum. Moriens verò, apud presbyterum hæresis deponit testamentum, iubens vt id traderet filio Constantini, quem etiam testamento scripsit paternæ hereditatis & Imperij successorem & Imperatorem.

Presbyter autem, qui & in Deum, & in homines erat infidelis, dat clanculum testamentum Constantio, simul visus proditor & patris, & filij hereditatis. In prodicione autem concurrerunt & Eusebius impius Præpositus, & quidam alij impietatis naturæque Androgynæ sodales. Cæterum prodit quidem Constantio ea, quæ illius fidei credita fuerant: Eius autem in homines infidelitatis à Constantio hanc petit mercedem, vt rectam suam prodat fidem. Familiarem verò & socium sibi adsciscit Eusebium Nicomediensem. Ij verò machinantur, nè Alexandriæ audiatur Arrius, sed Constantinopoli, existimantes se facillè superaturos Athanasium, qui non aderat, simul etiam secum Imperatoris ferentes autoritatem.

Cap. 12. Cum autem cum Alexandro Constantinopolitano Episcopo multa locuti essent de conuentione, quæ pietatis dogmata eradebat, postquam non persuaserunt, profertur ei mandatū Regium, vt aut cum eo, quod sentit, Arrium suscipiat, aut sedi cedat: aut si neutrum elegerit, sciat se mitti in exilium. Persuaserunt autem etiam Constantio verè mancipio, vt accersito Alexandro eadem diceret & minaretur, vt ei, qui propter maleuolentiam, non autem pietatem, Arrio esset infensus. Ille verò Christi virtute inculpataq; vita & conscientia fretus, respondet Imperatori: Verane sint ea, quorum in simulor, dies deinceps ostendet. Ego autem eum, qui tantæ est conuictus impietatis, & condemnatus à tot Pontificibus, non possum in venerandorum sacramentorum

Vide usum
pallij anti
quissimum
in ecclesia.

Cap. 10.
Constantia
soror Con-
stantini ef-
fecit, vt re-
uocetur ab
exilio Ar-
rius.

Arrij falla-
cia & periur-
ium.

Cap. 11.
Rursus per-
iurat Arrius

Moritur
Constanti-
nus.

Perfidia
pseudopre-
sbyteri.

Cap. 12.

torum suscipere communionem. Constantius verò: Vide, inquit, ô Episcopo, (congregatur enim Concilium Episcoporum) nè eum inuitus suscipias. Post quæ surgens exijt Põrifex, & cum ad Dei accessisset ecclesiam, cum suspirijs & lachrymis ad Deum clamauit, nè propter Arrii irreptionem permittat gregem suum dissipari. Totaque nocte sub altari à Pontifice peracta fuerat precatio.

Precib⁹ suis
Alexander
Episcopus
interficat
Arrium.

Eusebius autem, vt qui impietatis esset amator vehemens, accedit ad Arrium cum caterua hæretica, & iubet procedere ad synodum, quæ ei, vel inuito Alexandro, redderet iniuste ablatam sacerdotij dignitatem. Erat itaque in ciuitate tumultus & perturbatio propter ea, quæ mouebantur, alijs quidem Arrio fauentibus, alijs verò prodicionem pietatis non ferentibus. Congregatus itaque erat coetus in Ecclesia: & vnà cum ijs, qui erant eiusdem sententiæ, procedens Arrius, cum ex equo descēdisset, quædam publicas ingreditur latrinas, quæ constructæ fuerant post forum Constantini: Et cum egeret, cum stercorebus quidem intestina, cum intestinis autem animam quodque miser simul abijcit. Cum autem moraretur diutius, & quod factum fuerat, tegeter ignoratio, fama est properè insiluisse Eusebium, & diurnam quidem moram ei exprobrasse, exprobrasse verò etiã illius in eos cõtumeliam. Quod enim neq; loquatur, & tantoperè moretur, id arguit, eos ab ipso haberi loco seruorum. Is autè magis eò quod mutus esset, quàm quod diu moraretur, eos latuit pudore afficiens. Sed mutatus Eusebius, iubet eum bono & fidenti animo surgere: eum enim expectari ab vniuersa synodo ad declarandam eius innocentiam. Is autem extremũ silebat silentium, vixque infelix animaduertit Eusebius, eum, cui studebat, esse mortuum.

Cap. 13.
Eusebi⁹ p⁹g-
positus Ar-
rii fautor.

Horrenda
Arrii mors.

Soluatur ergò synodus, & qui Alexandrum condemnabant exilio, impijs abiectis calculis, videntes hæresis suæ ducem descendisse ad inferos, magno luctu tenebantur. Cum autem propter plagam diuinitus illatam aliquantisper erubuissent, rursus in sua coibant conciliabula, & Dei iram in Arrium ostensam, ad cõmunem mortem referre contendebant. Atqui etiam si mors communis ei illata eo tempore, quando eum studebant inducere in Ecclesiam, mutata sit in nouam mortem & illatam diuinitus, Constantio tamen mancipio persuaferunt, quod debitum naturæ reddiderit Arrius, non autem ira diuina pœnas luerit. Sed ille quidem miser precibus Alexandri sic vita excessit mirabiliter. Diuinus autem Alexander paulò post sanctè, & vt sanctũ decuit, pro terrenis caelestia fortitus est tabernacula, cum viginti quidè & tres annos in Episcopatu transgisset, vixisset autem nonaginta & octo annos, In Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Cap. 14.

Moritur di-
uinus Ale-
xander Epi-
scopus.

VITA S. AMELBERGÆ VIDVÆ, MATRIS S. GVDILAE VIRGINIS, VT IN MS. CODICI- bus habetur. Stylum mutauit F. Laur. Surius



BEATA Amelberga illustrissimis orta natalibus, sed quæ ipsos natales morum integritate ornaret, * Sanctas oppidum ceu domina hæreditario iure obtinuit, donèc monasticæ religionis beatitudinem complexa est. Parentum verò orbata solatio, licet tenera adhuc esset ætate, familiam hæreditaria successione ad ipsam deuolutam, peruigili cura & multa comitate gubernauit: non quod seruatorum aut ancillarum numerosa turba, quam mortales in præcipuis bonis numerant, delectaretur, sed quod iniquum censeret, si paternas opes auarè sibi vni vendicans, quenquam illorum fame & inedia cõfici pateretur. Non

Multam fa-
miliam, ad-
huc adole-
scētula, stre-
nuè guber-
nat.

erat illa dedita iocis puellaribus, non amatorijs capiebatur cantilenis, non quæuis ludicra aut friuola vel videre vel audire cupiebat: sed cum Maria ad pedes Domini residens, quid actura esset, habitu & actu præ se ferebat. Interim totius boni hostis diabolus, puellæ admirans continentiam, eius parentes sollicitat, vt nuptui eam collocent. Indicatur igitur renitenti maritus, & tandem à Pipino, S. Gertrudis virginis parente, Vuitgero homini præpotenti coniunx traditur, generis nobilitate pari, nec dispari meritis

Luc. 10:

Nubi Vuit-
gero.

Ex ea verò natus est beatus * Aldebertus Cameracensis ecclesiæ præsul sanctissimus, cuius gesta plena miraculis & virtutibus, vsque in præsens in eadem florent ecclesia:

* Idem vo-
catur etiam
Embertus.